

Tollitur adpositis, & multo fulgurat auro.  
 Hinc atque hinc gemini fontes non ubere lympham  
 Effundunt vena, sed Bacchica dona frequenti  
 Emittunt late populo spumantia vina.  
 Ex alto argutis resonant concentibus auræ.  
 Postquam autem occiduo demersit in æquore fessos  
 Phœbus equos, festis ardent circum omnia flammis.  
 Interea textis fulgentibus intima quæque  
 Septa domus, fulvoque nitent distincta metallo,  
 Et lychni ardentes pendent laquearibus aureis,  
 Restituuntque diem, complentur & omnia densis  
 Nobilium turmis, juvenesque, virique frequentes,  
 Quosque amicit viola, & quos ornat purpura Patres,  
 Accurrunt, celebrantque diem, matresque, nurusque.  
 Dulce melos, toto nusquam quo dulcius orbe,  
 Personat: adpositis fervent convivia mensis.  
 Hæc ibi tanta sacro celebrat dum festa Parenti  
 Corarides, plausuque urbs tota effusa secundat,  
 Solus ego non inde procul, qua surgit ab altis  
 Lojolidum teetis, & libera suspicit axem  
 Area sidereum, stellantis lumina cœli  
 Intentus de more tubo trans vitrea septa  
 Lustrabam tereti, quo non tubus aptior alter  
 Æthereos imis ignes adducere terris,  
 Rarum opus (3) Hugenidæ ningni, qui pulvere massam  
 Rite domans tenui vitream contrivit in orbem,  
 Ipse suis formans digitis, frontesque polivit.  
 Forte (4) Jovis medio fidus fulgebat olympos  
 Sordentes crassi despectans aeris auras.  
 Ergo illuc molemque agilem, deflexaque movi  
 Lumina, jamque globum, maculasque, & plurima  
 frontem  
 Quæ rutilam fusco distinguit fascia ductu,  
 Jam comites oculo intentus scrutabar acuto: